

009
18np

Tom: 74

1. 0.
2. 0.
3. 0.
4. 0.
5. 0.
6. 0.
7. 0.
8. 0.
9. 0.
10. 0.
11. 0.
12. 0.
13. 0.
14. 0.
15. 0.
16. 0.
17. 0.

QVOD FELIX FAUSTVMQVE SIT,

INITIA
CVLTIORIS
GERMANIAE,

IN REGIA FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPĒ

FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE,
CETERA,

PRAESIDE

CHRISTOPHORO CELLARIO,

HISTOR. ET ELOQ. PROF. P.

D. XXI FEBRVAR. CIO IOCCIII

EXAMINANDA PVBLICE PROPONIT

ANDREAS CHRISTOPHORVS BREITHAVPT,

Eimbeccensis-Hannoueranus.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP. *jer.*



Ræstantior hominis pars animus quamvis expers sit omnis materiæ molisque , quæ premit corpora ; neque in oculos incurrat , aut sensu corporis percipiat : tamen in multis partibus , aut , vt verius dicamus , rationibus multis cum rebus , quæ corpus habent , aut mole sua sunt expansæ , comparari apta similitudine potest : nec illum tantum sic conferre licet , verum etiam , quæ ex illius natura fluunt , vita & societas hominum .

II. Non est , quod exempla rei longinquiora repetamus , quibus , quæ diximus , illustrentur ad fidem faciendam : quum id sufficiat , in quo maiorem vim hominum ac pleniores numerum exerceri adhuc vidi- mus , nec hodieque cessare a suo opere atque labore . Agriculturam intelligo , cui plures mortalium sunt dediti , quam vlli rei aut negotiatio . Quæ autem illius est ratio , vt vel arando , vel conferendo , vel metendo denique perficiatur ; eadem etiam est animi , qui horridus plane & asper exsistit , & inconditos mores barbarumque vitam profert , nisi sollerti disciplina excolatur , & sapientiæ ac virtutis semina accipiat , quæ fructus

A

vbe-

vberiores ad conseruandam & melius prouehendam generis humani societatem adferant. Ut vero, si negligitur cultus, ager, etiam opimus natura, definit bonos fructus ferre, & loliis sentibusque obducitur: ita etiam animi cultura tam necessaria est homini, qui ad publicam utilitatem, quod suum est, conferre debet, vt nisi ille adsidue percolatur exerceaturque; sterilescat omnino, & nihil salubre ac frugiferum in se retineat.

III. Barbariem inde & squalorem, qui genus humandum omne & terrarum orbem occupauerat, provenisse, nemo est qui neget, nisi qui animo vti nesciat, aut omnem exuerit humanitatem: quod argumento luculentissimo est, quo necessitas colenda mentis & ad virtutem instituendæ comprobetur. A cataclysmo primus cœtus diuina voce, stupendis miraculis, beneficiis frequentibus adductus eo erat, vt Deum omnes cognoscerent, virtutem, & quod rectum est, tractarent, accidente patriarcharum cura atque studio, quorum vita iccirco supra modum propagata fuit, vt pietas & virtus in posteros illibata transmitteretur; quamquam iam in prima familia, Chanaane videlicet, nepote Noachi, semina malitia & depravationis se prodiderint.

IV. Dispersione gentium facta, non sensim aut lente, sed citato gradu descitum a virtute est ad vitia, & ab vero Dei cultu & amore ad simulacrorum adorationem: & quo longius processum fuit ab sede primigenia, quæ primos homines ex diluvio accepit propagauitque; eo crassior ignorantia non diuinarum modo rerum, sed aliarum etiam, quæ ad ciuilem virtutem cultumque vitæ commodiorem pertinent, hominum

num mentes inuasit : quæ nec expelli prius, neque mitigari ratione potuit, quam vel rara quorundam industria & perspicuitate , vel nouorum meliorumque hospicium ac colonorum accessione rudes homines & inculti ad cultiorem vitam in hac vel illa regione (non dum enim ubique terrarum) adducti sunt.

V. De Chaldæis, patriarcharum sedi proximis, eorumque vicinis Assyriis Aegyptiisque nihil dicemus , qui quamuis in immanes quoque de sacris rebus errores prolapsi erant; in ciuili tamen vita & artium disciplina aliquid recti verique retinuerunt. Hos vero intactos iam relinquemus , quia ab iis vel nihil , vel si omnino aliquid , per longas id ambages ad nostram Germaniam , de cuius cultura in præsenti dissertamus , per commercia aut colonias, de quibus certo constet, adlatum fuit, quod morum feritatem emendaret, & ad ciuiliorem vitam homines adsuiefaceret. Europæ terminis contenti , Græcos primum respicimus , qui a Phoenicum gente aliquid sapientiæ dicuntur accepisse: a Græcis Itali & Romani: ab his Transalpini populi , atque sic tandem etiam Germani aliique Septemtrionales. Non omnem culturam iam explicabimus, sed in vna tantum illius parte , principe autem & præcipua & tali, quæ caussam omnem illustrare posfit, adquiescemos.

VI. Litterarum disciplinas quamplurimum ad vitam cultiorem conferre , sapientum omnium plenissima est consensio, quibus ut ceteri etiam accedant , qui non tantum intellexerunt, paucis iam verbis & rationibus demonstrandum est. Nemo enim infinitias it, litteras atque scriptos codices esse fideles earum rerum

custodes, quæ hominum facile memoriam effugient; & in se præcepta continere, quibus ad virtutem insti-tuamur; eademque transmittere ad posteros, & præ-claris exemplis, quod fieri possint, quæ præcipiunt, approbare: quod sâne, si litterarum disciplinis ita per-ficitur & confirmatur, necesse est vtique, cunctis illas aëtibus humanæ vitæ singularem & splendidissimam lucem ad virtutis viam & ciuilem felicitatem præferre. In hoc autem auctores veteres consentiunt plerique, ex Phoenice aduenisse, qui rudes Græcos primum litteras & scribendi rationem perdocerent, siue Cadmus ille fuærit cum sociis, siue alius rector nouæ Phœniciorum coloniæ. Scribendi quidem solam artem aucto-res quidam memorant, quam Cadmo Græci debuerint: nec vero esse credas, quod tantis id verbis extol-lant, nisi cum litteris etiam prudentiæ doctrinam a-liamque eruditionem ille attulisset, cuius ars illa scriben-di iam est principium atque origo, etiam singulare in exercendo adiumentum, & fidelissima custos in conseruando; etiam prope vnica adiutrix ad propagan-dum.

VII. A Græcis in Italiam translatas esse litteras, indeque latius diffusas postmodum, non opus est, vt argumentis industrie conquisitis comprober. Pleni sunt libri de Saturni in Italiam destinata & perfecta fuga: & Euandri ex Arcadia in eandem profectio[n]e, quos se-cutu[rum] ali[us] sunt, & in his quoque Damaratus Corinthius, qui Tarquinii in Etruria consedit: filius Romæ regna-vit. Quos imitati alii, in Italæ parte, quæ propior est Græciæ, multas vrbes Græcanicas condiderunt, quæ per longa tempora Græcas litteras atque mores conser-vasse

vasse vel ipso Cicerone auctore, in illa pro Archia oratione, adfirmamus.

VIII. Roma cum vires adquisiuisset, non in sola Italia sua, sed in exteris etiam prouincias colonias non paucas deduxit: quartum commercio barbaræ gentes ad ciuiliorem vitam cultioresque mores consuetudine & vsu sunt institutæ. quod de Hispania & parte Galliæ, quæ circa Rhodanum est, si quis negare ausit, magno clamore celebrium coloniarum refutabitur. Germania autem nostra fero tandem aliquid ab Romanis per consuetudinem accepit, quod ad morum mitigationem & vitam mansuetiorem aliquid adferret. Quod, quando initium sumserit, & qua ratione fuerit conseruatum propagatumque; nostri iam est instituti, indagare, & quantum fieri potest, ex tenebris antiquitatum ac barbarorum temporum, quæ Germaniam cum primis opprefsam tenuerunt, in lucem protrahere ac ostentare.

VIII. Origo Germanorum subobscura est, cum Romanis ignoti plane fuerint ad Cimbricum usque bellum; & ante Cæsaris proconsulatum nemo illorum fines ingressus fit: quamvis nec hic de illis multa tradiderit. Incertiora sunt, quæ Græci scriptores, utpote remoti longius, de illis prodiderunt. Id tantummodo a finitimis audiuerant Romani, esse gentem feram & maxime barbaram, terram ipsam incultam & frugum expertem, filuis & paludibus oppletam: caelum asperum & immite, quod tam dura ingenia efficiat, ut digna sint squalore ipsius terræ, quæ homines illos immanes atque horridos procreauerat. Tacitus fere primus est, qui singulari libro, quem de situ & populis Germaniae scripsit, aliquid de origine tradiderit. *Germanos*, inquit,

cap. II indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hospitiis mixtos. Rationes has adiicit: quia nec terra olim sed clasibus aduebantur, qui mutare sedes querebant: & immensus ultra Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. Quis porro (& hoc adiecit) præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam calo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit? Dum inquirit hic auctor originem, eam magis magisque nobis occultat, indigenas vocando Germanos nostros, quos definire & interpretari est difficillimum, si erroris scopulos & manifestam falsitatem studeas euitare. Græci αὐτόχθονας vocant & γηγενεῖς, terra natos, qui aliunde non aduenissent: quod de Atheniensibus plerique scriptores affirmarunt. Cicero autem pro Flacco cap. xxvi ad obscuram antiquitatem refert, quod, quorum originem posteriores ignorauerint, e terra prognatos esse credidissent. Sed vnum hominem e terra natum vel formatum nouimus; ceteros omnes procreatos ex hominibus.

X. Aliam ergo & veriorem originem Germanorum inuestigare nunc nostri est instituti: nec enim rationes Taciti sunt eiusmodi, vt probare nobis possint, non aliunde adlatos Germanos fuisse, sed ipso, quod colebant, innatos esse solo. Non est credibile, quum gentium primæ diuisiones fierent, nauibus potius, quæ forte nullæ erant, quam terrestri itinere dispersas fuisse; quamvis postea vsu nauigiorum longius etiam profectas esse non negamus. In eo autem facile consentimus, per Oceanum primos cultores non fuisse in Germaniam delatos. Quod vero existimat, ex Asia aut Italia

lia nullos populos in terram asperam cælo & situ informem profecturos fuisse; in eo nos dissentire aperte profitemur. Est omnino aliquid cælesti prouidentiæ, quæ duxerit homines direxeritque cursum illorum, quum in diuersas terras exierant, imputandum, ut genus humaanum per omnem terrarum orbem diffunderetur. In Asia nativerant primi homines: seruati quoque ex vndis diluvii in Asia: atque ita ex eadem Asia dispersio gentium in finitimas terras, deinde in vteriores, & tandem in extremas fuit facta, quum Asia illa non omnes caperet, sed mitteret in Europam atque Africam, qui superabant. Quo ductu profectioneque putamus factum esse, vt in Germaniam quoque venirent homines, quibus si omnino per Alpes clausus aditus fuisse, patueret tamen per Pannoniam & alias intra Oceanum regiones. Vtique ex prima dispersione gentium vt aliarum omnium, ita etiam Germanorum origines sunt, vt tamen tempora distinguuntur, quia citius, quæ propiores erant, Asiae Babyloniæ partes habitatas fuisse, serius vltiores, credibile est.

XI. Iudæi, nescio qua traditione, ab Aschkenaz, Iapheti nepote, pronepote Noæ, & nomen & originem gentis Germanorum trahunt, & ipsam Germaniam terram *Aschkenaz* adpellant. Vir doctissimus, Samuel Boachartus, quin libro *1111 Geographiæ Sacrae* cap. *xxxviii* hanc fabulam recensuisset, *ridicule*, ait, ab Iudæis hæc configi, quia Ieremiæ *li*, 27 Aschkenaz inter eas gentes referatur, quæ Babylonem sint oppugnaturæ. Ridiculum autem est, si quis a Germanis Babylonem vel oppugnatam vel deletam olim fuisse dixerit, Targum Hierosolymitanum a vero pro-

pius

pius abesse nobis videtur, quum inter prouincias filiorum Gomer primo loco, tamquam primogeniti, qui Aschkenaz erat, sedem recenseat *Asiam*, puta proprie dictam, ibiderique a Phrygia distinctam, quæ aliquando Lydiæ regnum; alio tempore Attalorum erat; sub Romanis prouincia proconsularis. Verba sunt Gen. X. 3, : **בְּנֵי רֹגֶר וּשְׁוֹן אַפְרִיכִיתָהוּן אֲסִיא** וּבְרִבְרִיאָה hoc est, *filiū Gomer sunt & nomen prouinciarum eius, Asia & Phrygia & Barbaria.* Antea laudatus Bochartus ad Bithyniam, huic Asiae finitimam, aut Phrygiā atque Troianam regionem refert, quia ibi sit *Ascanius* & lacus & amnis; item *Ascania* vrbs vel regio cum insulis *Ascaniis*, vt nomine quoque adulat: sicut etiam Ponti *Euxini* nomen putat inde ortum esse, a Græcis vero detortum in ἄξενος, & auspicatori tandem nomine in ἐυξενος siue *Euxinus*. Verba ipsius sunt lib. IIII cap. VIII hæcce: *Itaque hoc maneat: e terra Gomer, id est Phrygia maiore, colonos duce Ascenaz in minorem Troademque deductos ad Pontum usque se diffidisse, qui cum ex accolarum nomine diceretur Ascenaz, a Gracis paullum deflexa voce nominatus est ἄξενος, in hospitalis; & postmodum ἐυξενος, in contrarium versa significazione ad vitandam δυσΦημίαν.* Sed argutius hæc ex litterarum similitudine coniiciuntur, quam certo & firmiter, vt quibet intelligit, approbantur. Interim non negamus, Germanos ab Iapheto, Noæ filio esse, quamuis incertum, per quem ex eius posteris. Idem Targum Genes. X. 2, (vt supplet alterum quod Ionathanī tribuitur) *Filiī Iapheti (Gomer Magog, ceteri) & nomen prouinciarum illorum וּמִרְמָנָה וּמִרְמָנָה אַפְרִיקִי וּמִקְרָנוֹן Africa, & Germania, & Media, & Macedonia:*

nia; quamuis non videamus, quo pacto Media huc trahatur; nec de Africa id satis probabile appetet.

XII. Alii Iudæorum Germanos ex Chananaeis deducunt, ab Iosua pulsis, quum terram ipsorum diuinis auspiciis occuparet, ut fedes eslet Israelitarum. Ipse Alben Ezra, in Obadiam commentario sub finem, vocabulum *Chananaeorum* ita interpretatus est, שמענו מפי גודוּלִים כוֹ אָרֶץ אַלְמָנִיָּה הַס הַכְּנָעָנִים שברחו מפנֵי שָׂרָאֵל בְּבוֹאָת אֶל הָאָרֶץ *audinimus ex ore maiorum, terram Alamanniam [Germaniam] esse hos Chananeos, qui fugerunt a facie Israelitarum, cum invirent in terram sanctam.* Atque ita Zarpath (quod eodem Obadiæ loco cum Sepharat commemoratur) Iudæis est Francia, quemadmodum etiam Jonathan Vzileides Sepharath *Aspermia Hispaniam* transtulit. Quod res est, Bochartus sensit, quum interpretationem hanc somnium dixit Rabinicum. Si enim ipse propheta inspicitur, longe aliud videmus prædictum esse, quam quod est in delirante opinione Iudæorum.

XIII. Ipse Bochartus partis II lib. I cap. XXIII ex Aegypto credit Germanos suam originem traxisse, quod ipsius verbis præstat, quam nostris explicare. Interim, inquit, *credibile est, non quidem exterra Chanazn, sed ex Aegypto proxima prisicam aliquam coloniam ab Aegypto Hercule eo deductam.* Argumento sunt *sara Isidis a Suevis usurpata.* Quod ex Taciti libro de Moribus Germanorum cap. IX approbare studet. PARS, inquit ille, SVEVORVM ET ISIDI SACRIFICAT. VNDE CAVSSA ET ORIGO PEREGRINO SACRO, PARVM COMPERI, NISI QVOD SIGNVM IPSVM IN MODVM LIBVRNAE FIGVRATVM DOCET AD-

VECTAM RELIGIONEM. Et ex cap. II sic colligit:
 TVITO item & MANNVS, quos pro conditoribus cele-
 brant, videntur esse Thoth & Menas. Thoth Aegyptiis est
 Mercurius; & Menas primus regum. Sed & fuisse apud
 eos Herculem memorant, primum omnium virorum fortium.
Hec ex Tacito.

XIII. Speciosum argumentum, fatemur: an ve-
 ro certa origo ex similitudine sacrorum probetur, non
 est ita manifestum, ut a pluribus adreptum fuit. Dubi-
 tatur enim, an Sueuorum sacra in omnibus conuenient
 cum Aegyptiis, quum ignari rerum saepe putent
 confessionem esse, vbi maximus rerum dissensus intercedit.
 Exemplo sunt quae Tacitus lib. V Histor.
 cap. VI de Iudeis narrat, fuisse, qui Bacchi sacra Iu-
 dæis tribuerint, quum tamen ipse dicat, *non congruere*
instituta. Ipse Tacitus quum cap. VIII de Moribus
 Germanorum, *Iidis religionem adiectam* nauibus in
 Germaniam dicit, non id dicit, quasi ipsi Germani,
 quos indigenas dixerat, orti fuerint ab Aegyptiis, sed
 quosdam aduenisse, qui Germanos eos ritus perdoce-
 rent. Nec *Liburna* figura nauigio adiectam religio-
 nem probat, quum in ipsis sacris illius deæ *nauigium*,
 quoque adhibitum fuisse, vel ex Laetentii lib. I cap. XI
 sect. 21 constare possit, ut æque terrestri itinere, forsan
 ex Italia, quia & Romani illa sacra adsumferant; fal-
 tem non per mare, quia ex Aegypto per mediterra-
 neum mare, quam longum est, in Oceanum Hispani-
 cum, & inde in septentrionalem & Germanicum, &
 tandem in ipsum finum Codanum, seu Balticum mare,
 quod Suevi accolabant, difficilior, quam pro tempo-
 rum illorum conditione ac ruditate, nauigatio erat.

XV. Phi-

XV. Philippus Cluuerius Germaniae Antiquae lib. i cap. IIII id quoque agit, vt Celtarum amplissimas gentes, per Illyricum, Germaniam, Galliam, Hispaniam, & septentrionem quoque Germaniae imminentem, diffusas, ab Aschkenaz propagatas esse comprobet, sed successu, quantum nobis videtur, minimum felici. Eum enim probandi ordinem instituit, vt terram omnem inter nepotes Noæ distribuat ingenuo suo: quo facto, concludit, quia nihil reliquum sit, quam illa Europæ pars, qua per Germaniam Galliamque & vicinas regiones extendatur, hanc ab Aschkenaze, Noæ pronepote, eiusque posteritate sive occapatam, & habitationibus progressu temporum oppletam. Sed nihil incertius est, quam vbiuis sedes horum illorumve Noachitarum, quas fortiti fuerant, certo definire, quod in Aschkenaze fit incertum magis, quia, vt supra vidimus, & Ieremias vates ad aliam, quam Germaniae plagam reiecit; & Chaldaei interpres, antiqui sane, in citeriori Asia Aschkenazarum sedem videntur sibi inuenisse. Quæ quum ita sint, vti sunt, non sine iusta causa dubitamus, certo probari posse, ex quo nepote Noæ vel pronepote ortum sium Germani ducant, & æque probabile esse Iaphanem, qui Græciām dicitur tenuisse, multiplicata sua gente, in Italiam & vterius colonias emisisse: quamquam propter dispare ritus ac mores Græcorum Germanorumque id minime adseueramus. Hoc certum nobis est, ab Iapheto Noæ filio omnes Europæos esse: qui nam vero populi ab hoc vel illo eiusdem nepote sint procreati, salvo aliorum iudicio, dubitamus certo & distinete probari vñquam posse.

XVI. Satis de origine antiquissima, quantum haberi & cognosci potest: quæ vero vix aliud in Germaniam, quam barbaros mores, pro temporum illorum consuetudine inferebat: aut si quid melius, id tamen postea in immanem barbariem degeneravit. Orum cultura occidentis, a coloniis est; etiam citerioris Asiae quæ primum a Græcis omnes, qui ad humanitatem & benigniores mores animum applicuerant, deductæ olim fuerunt, tam iis Græcis qui Asiam incolebant, quam qui sedem antiquitus in Europa intra Aegæum mare & Mediterraneum occupauerant. Postquam enim a Sidoniis Thebæ in Boetia, Cadmo duce, fuerunt conditæ, quemadmodum Plinius lib. v cap. xx Sidonem vocat *Thebarum Bœoticarum parentem*; non obliterata coloniis illis in Græcia fuit, quam ex vicinitate patriarcharum & orientis sapientum scientiam & virtutem attulerant, sicut in Tyriorum coloniis per Africam atque Hispaniam factum fuisse, ex gentium illarum moribus non obscurum est: sed magis magisque notitiam illam reliquiasque sapientiae resuscitauerunt, vt per omnem transfulas Græciam exteris etiam nationibus, quas adierunt, per commercia, vel colonias, tradiderint. Maxime disciplinas illas Athenienses excoluerunt, vt exinde mater litterarum ac meliorum omnium studiorum Athenæ dicerentur: quæ horum coloniis longe lateque per Europam & Asiae partem disseminabantur. Quod enim Cicero in Bruto cap. xiii de eloquentia dicit, *vt semel e Piræa euæta fuerit, omnes peragrasse insulas atque Asia tota peregrinatam esse*: id, quoniam ille de Græcis solis loqui proposuerat, & de solo eloquentiæ studio; ad omnem philosophiam & humani-

manitatis studia, etiam in Italiam transmissa, debemus intelligere. Nam idem Cicero pro Archia dicit, in Græcis Italæ coloniis, quæ Rhegium, Crotona, Metapontum, Tarentum, Velia, Neapolis, & aliae fuerunt, floruisse litterarum & humanitatis disciplinas, antequam Romæ excolerentur, quod haud dubie a Græcis, vnde ortæ fuerant, vnicē habuerunt.

XVII. Ut vero in generis humani propagatione est, vt conferuatio eius longius longiusque per filios, nepotes, & seriffimos posteros diuinitus instituatur: ita etiam res in ciuitatibus habent, quarum vna si bene culta & morata est, colonias quoque cultiores deducit; & hæ quoque magis atque magis suos mores suaque studia in vicinas gentes noui transfundunt coloniis: aut si illis locus non supereft, per commercia & consuetudinem diuturnam propagant. Miletus, nobilis Ioniae ciuitas, vna ex duodecim illis, quas prima ex Ionibus Græciæ egressa in Asiam magna colonia condiderat, innumeratas per Ponti oram tam in Asia quam Europa usque ad Scythas, condidit Græcas colonias, quibus suas etiam Athenienses interiecerunt, vt omnis ora Ponti Asiatica cultissimis ciuitatibus, Trapezunte, Amiso, Sinope, Heraclea usque ad Bosporum Thracium, & inde per Europæ partem usque ad Istri ostia, repleta fuerit. Hoc si vna ferme vrbs Miletus perfectit, cui propterea Strabo lib. xiiii, tribuit τὸ πλῆθος τῶν ἀπίστων, multitudinem coloniarum: quia Εὐξεινος πόντος ὑπὸ τέτων συνάντισι παῖς, ἡ ἡ Προποντίς, ἡ ἀλλοι πλείους τόποι, Pontus Euxinus & Propontis, & alia loca Milesorum coloniis culta fuerint atque edificata; quantum putemus ab aliis Græcorum ciuitatibus fuisse operæ adhibi-

tum in colendis & ornandis ceteris gentibus ? scilicet non per insulas tantum & Asiae oram constitutae sunt coloniae Græcorum, sed Cyrenæ etiam in Africa, Syracusæ & aliae multæ vrbes in Sicilia : & per Italiam inferiorem antea laudatae ciuitates, lingua & moribus non ingratæ prædicarunt. Accedit Macedonum in Asiam vltiorem expeditio, qua tota Syria, etiam vicina Aegyptus Græcis moribus, lingua & disciplinis fuerunt impletæ: vt de Tarso Ciliciae, quam philosophiaæ & litterarum cultu vel Athenas superasse Strabo testis est lib. x 1111; de Rhodo, Epheso, Smyrna, Stratonice, Cnido, Halicarnasso, & ceteris taceamus, vnde Romani sapientiam eloquentiamque sibi petierunt: vt vel ex solo Ciceronis exemplo clarissimum est de Claris oratoribus cap. xci. Sed hæc de Græcis orientem versus aut in septemtrionem aut meridiem: qui vero non minus in occidentem progressi, nec tantummodo per Italiam, sed vltius etiam in Gallia Massiliam, Græca comitate bene compositam ciuitatem, vt Tacitus laudat in Agricolæ cap. 1111: & Emporias in Hispaniæ ora considerunt.

XVIII. Græcorum industriam & consuetudinem Romani imitati sunt, nec tantum per Italiam quam plurimas colonias inde ab Alpibus vsque ad Siciliam deduxerunt, quarum feriem Velleius Paterculus libro i cap. xiv & sequenti est persecutus: sed a Punicis bellis per Galliam, Hispaniam & Africam, & tandem sub Cæsaribus per orbem terrarum fuerunt distributæ. His factum est, vt omnis occidens sit moratior redditus, suamque barbaram dediceret linguam, Romanam æmularetur vsque ad eloquentiæ excellentiam cum ipsis Romanis post-

postea certaturam. Id enim in more Romanis positum erat, vt quum prouinciam in barbaragente fecissent, illico ludos litterarum in ea aperirent, quibus prouincialium liberi Græcis Latinisque litteris ac disciplinis erudirentur. Viderunt enim cordatissimi homines, numquam sibi tutas fore prouincias, nisi exuerentur barbarie, & cultiores inducerentur ritus ac consuetudines per litterarum studia, quæ id inditum diuinitus habent, & omnibus alia sapientia, vt quantumcumque antea abhorrerint homines, postea si semel dulcedinem illarum degustassent, cupidissime illas apprehenderent, amarentque eos, a quibus a squalore ad nitorem, a barbarie ad meliorem vitam & scientias adducti essent.

XIX. Sertorius, ex Mariano milite dux Hispanorum, Romanis oppositus parem rempublicam, ante omnia scholam Ofcæ instituit, vt liberi illorum Græcis litteris ac disciplinis erudirentur: quia præuidit vir callidissimus, non stabilem fore, quam conditurus erat, rempublicam, nisi eruditos homines haberet, qui barbarie depulsa, prudentiae legibus atque præceptis, quæ publica sint, facerent. De quibus Plutarchus in vita egit Sertorii. Sed hæc impedita fuerunt, oppresso suorum fraude fortissimo illo duce. Nec tamen aliis locis plane ruditis erat Hispania, sed inde ab secundo Punico bello studia quodammodo & Cordubæ & in Italica Bæticæ colonia, & Tarracone, primaria Romanorum vrbe, vige-re cœperant: & quamquam de iis Cicero pro Archia dicit, *pingue quiddam sonare atque peregrinum*: poetæ tamen erant, & Cordubæ nati, quibus aures Metellus Pius, & aliqui doctissimi Romani, quum contra Sertorium in Hispania pugnarent, dederunt.

XX.

XX. Melior facies rerum in prouinciis cunctis erat, quum Augustus Cæsar imperaret, qui ita excoluit Hispaniam, ornauitque nouis coloniis, studiisque instruxit liberalissimis, ut Corduba breui post non pingue aliquid sonantes, ut antea, sed elegantissime doctos, Senecas Marcum & Lucium, cum Annæo Lucano poeta: Tingitera prope fretum, Pomponium Melam; & Bilbilis Valerium Martialem, ac alia vrbes alios illustres scriptores ediderint. Gallia autem quem prouentum litterarum ab illis temporibus habuit? Scholæ illustrissimæ tum Augusto duni, quam Eumenes rhetor singulari oratione laudauit: tum Durocortori Rhemorum, quam vrbem propter litterarum præclarâ studia NOVAS ATHENAS antiqua inscriptio nominauit, luculento argumento sunt, etiam si de ceteris artium officinis taceamus. Sufficiat Britanniam solam ex prouinciis adiicere: de qua Tacitus Agricolæ vita cap. xxi *Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire; & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre [coepit] ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.* De singulis his prouinciis eodem prope tempore Iuuenalis satyra xv. vers. 108 & sequentibus

- - - - - *sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui presertim estate Metelli?
Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia caussidicos docuit facunda Britanno,
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.*

XXI. Hæc circa Germaniam, ab occasu maxime & septentrione: sed sero nimis hæc lux ipsi, quæ tota barbaricis tenebris immersa erat, adfulsit. Cimbri-
cum

cum bellum nihil salutis attulit, quium nec Gallia tum, nisi paucissimis prouinciae locis, exculta esset. Cæsar Iulius transgressus quidem bis Rhenum fuit: sed paucis post diebus regressus, ut neque commercio Germanos, neque institutis nouis & melioribus adiuuarit. Multum conquerti Germani sunt apud Tacitum de Romanorum iniuriis, quiporum libertatem ereptum irent: sed nihil optandum magis suisset, quam ut citius Germani ab Romanis deuicti essent, ut, barbarie depulsa, mores benigni & humanitati congruentes in gentem inducerentur. Sed dum ferocius hi repugnarunt, factum est trifiti fato, ut in squalore prisco & tenebris inscitiae fere omnes relinquerentur; in ora tantum & ad ripas aliquid lucis ex vera humanitate acciperent.

XXII. Etenim Augustus Cæsar, quum tam sponte olim transgressos Rhenum, quam alios innumerabiles transductos in prouinciae formam, hoc est in *Germaniam Superiorem Inferioremque ordinasset*, ac priuignorum ductu omnia Rætia Vindeliciaque ac Norico usque ad Danubium in potestatem suam redactis, splendidam coloniam in illis gentibus Augustam Vindelicorum condidisset; qui ad ripam & in propinquuo Germani erant, confuscerunt pedetentim Romanorum moribus, & tandem commercia cum illis habere, atque ita cultiores sensim fieri coeperunt. Itidem Tacitus de Germanorum Moribus cap. xxxxi hæc edocet: *Propior Danubio, quem Vindelicorum Noricorumque gentes continent: propior, inquit, Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rætie prouincie colonia. Pasim & sine custode transeunt: & quum ceteris gentibus arma modo*

*modo castaque nostra ostendamus, his domos villasque pa-
tefecimus, non concupiscentibus.*

XXIII. Hoc vult dicere cordatissimus historico-
rum: non mirum esse vicinos barbaros & ripam alteram
colentes fluuiorum, qui Rom. imperium terminabant,
aliquid lucis & cultioris vitæ a finitimiis Romanis accep-
se, per consuetudinem videlicet & commerciorum ne-
cessitatem: sed illud potissimum demiratur, Hermundu-
ros etiam, remotiores ab ripa, quum sensissent, quam
bene res suas Romani, quam ordinate agerent, concu-
pissem illorum commercium, & ex illo amicitiam: quam
etiam Romani, qua humanitate erant, ipsis minime ne-
gauerunt. Hermunduri autem, vt eodem auctore intel-
ligimus, longo tractu a Danubio ad Salæ vsque conflu-
entem; etiam ex parte vltra Albim videntur habitasse,
quem fluum ipse Tacitus, in Hermunduris oriri,
prædicto loco dixit. Et Annalium lib. **xiii** extremo
inter Hermunduros Cattosque certatum tradit magno
proelio; dum *flumen gignendo sale secundum, & contermi-*
nun, vi traxerint: quibus verbis haud dubie *Salam,* flu-
vium nostrum, nostrarisque salinas iuxta illum, indica-
vit, velut flumen hoc Hermunduros a Cattis diremis-
set, vt gens vtraque prouentum salis in sua commoda
pertrahere laboraret. Velleius quoque Paterculus
cap. **cvi** *Albit Hermundurorum fines praterfluere;* auctor
est. Longe itaque Hermunduros inde a Danubio per
superiorem Palatinatum & Bohemiam in Misniæ vs-
que & Thuringiæ confinia habitasse, ex productis te-
stimoniorum colligitur. Hos vero non in ripa tantum Da-
nubii sinistra, quam forte accoluerunt, aut non longe
ab illa sedem habuere suam; sed *penitus* etiam, id est
intus

intus, seu in interioribus regionis illorum partibus, ad
humanitatem excultos, & mansuetiores factos fuisse
obseruauit, quamquam non exprimit quoisque illud
penitus a Danubio extensum prorogatumque voluerit:
quod non longissime fuisse factum, ex distantia colo-
niæ Rætorum facile intelligitur. Colonia autem illa
splendidissima, quam *Augustam* dixerunt Romani, non in
ipsa Germania sita erat, sed extra illam in Vindelicia,
sive in ipsa Rætia, quod nomen Taciti temporibus ipsis
Vindelicis quoque impositum erat. Danubius enim
Vindelicos Noricosque a Germanis separabat, quas
partes nunc ipsi Germaniæ a Carolino usque tempore
vindicamus. Hoc colonia ad Germanorum fines, hoc
commercia mutua effecerunt, quea numquam infru-
ctuosa sunt, sed cum lucro moribus vel addunt melius,
vel auferunt. Quid addant, Iuuenialis sat. II extrema
ostendit, cuius verbis liceat *hospes* pro *obses* ponere:

*Adspice quid faciant commercia: venerat hospes.
Hic sunt homines.*

Citius trans Rhenum Romani imperium suum protu-
lerunt ab Augusti temporibus, ad Lupiam & in vicinis
locis præsidia armorum constituentes: sed neque pa-
catam ibi prouinciam facere umquam potuerunt, ad
Constantinorum ætatem, & quoad principes imperi-
um Romanum Augustos habuit, Germanis renitenti-
bus, vt per omnem tot sæculorum historiam bella
Germanica legamus, sine tamen perfecta consumma-
taque victoria. Quo factum fuit, vt ex illis partibus
numquam penitus expulsa fuerit barbaries: interiora,
quo Romanorum arma peruenire non potuerunt, hor-

ridos illos & immanes mores constantissime retine-rent.

XXIII. Feliciores itaque gentes fuerunt, quæ inter Alpes colebant & Danubium, quia ii tractus Augusti Cæsaris victoria ad cultiorem vitam perducti fuerunt adeo, vt cum vicinis Germanis etiam humanitatis aliquid communicarent. Sed stetit hæc participatio in aduersa ripa, nec longius ab illa, vt mores sunt hominum, transfundi ad interiora Germaniæ potuit: nec ipsæ illæ regiones felicitatem suam conseruarunt, sed, euerso Romano imperio, & a barbaris occupato, multum perdiderunt de auspicata illa, quam ab Romanis habuerant, morum ingeniorumque cultura, vt multi etiam, si non plurimi, in pristinam relaberentur immunitatem: nec prius reduci ad meliorem vitam potuere, quam cælesti lumine simul non Ripensis tantum Germania, sed interior etiam omnis illustraretur. Quod quo factum tempore, aut incepturn fuerit; quando au-
ctum & propagatum; magno certamine historiarum conditores depugnare inter se videmus. Quæ conten-
tio, qua fieri breuitate potest, nunc quoque nobis est explicanda.

XXV. Sunt plurimi, qui nimis sero, & vix ante Caroli Magni tempora, euangelii lucem Germaniam no-
stram illustrasse existimunt. Quamuis enim promissa fuerit vniuersalis doctrinæ cælestis prædicatio, non ta-
men id vno tempore, sed successione multorum factum esse persuasum habent, Augustini etiam, maximi do-
ctoris, confisi auctoritate. Hic enim epistola LXXX ad Hesychium scripsit: *quod putat venerabilitas tua, iam hoc per ipsos Apostolos factum; non ita esse, certis docu-*

men-

mentis probani. Sunt enim apud nos, hoc est in Africas, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum prædicatum esse euangelium, ex iis, qui ducuntur inde captiui, & Romanorum seruitiis iam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Idem putant de Germania factum ante Carolina tempora fuisse, & demum saeculis multis reuolutis, postquam cœptum erat euangelium vulgari, illud beneficium Germanicis gentibus obtigisse. Sed durior nobis hæc interpretatio videtur esse; quam ut cum vniuersali Salvatoris mandato, in omnem terram exire Apostolos iubentis; aut prompto horum obsequio, quod Marci vox prope vltima πανταχός, ubique, confirmat; componi facile aliquis persuaserit.

XXVI. Mollior Augustino Sanctus Hieronymus est commentario in Matth. cap. xxiiii, 14, vbi id ipsum, quod pie credendum est, ex Salvatoris ore prolatum legitur. *Signum, inquit, dominici aduentus est euangelium in toto orbe predicari, ut nullus sit excusabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum.* Non enim puto aliquam remansisse gentem, que Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorem; tamen ex viciniis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Molliora hæc quidem sunt, ut diximus; vix tamen talia, quæ omnem dubitationem nobis eripiant. Proinde malim in Ioannis Chrysostomi sententiam ire, quam de eodem Matthæi loco homilia LXXVI p. 798 tulit, Christi verbis apprime consentaneam, & cum ecclesiæ historia, quæ ex primis temporibus supereft, maxime conuenientem. ὅτι, inquit, ἐν ἔκποστῃ καὶ τριάκοντα ὅλοις ἔτεσι τὰ πέρατα τῆς ὁπλωμένης πατέλαθεν ὁ λόγος μετὰ τέτοῦ ἓν, Φησίν,, ἥπει τὸ τέλος τῶν ἱερο-

σολύμων: intra viginti aut triginta annos verbum per Apostolos prædicatum occupauit fines omnes orbis terrarum. Post hoc, inquit, veniet consummatio Hierosolymorum. Hoc est, Christi verba ita interpretanda esse, ut, antequam Hierosolyma euerterentur, vbique terrarum, & in omnibus angulis, vbi homines fuerint, euangelium fuerit nuntiatum. Quod si est, Germaniam nostram, etiam interiorem, non expertem diuini illius beneficij fuisse, necesse est credamus. Hoc autem ex historia nunc erit approbandum.

XXVII. Antiquissimus Latinæ ecclesiæ scriptor, Lugdunensis episcopus atque martyr Irenæus, multis videtur idoneus auctor esse, quo probetur, illius ætate, hoc est secundo Christianorum sæculo in Germania nostra fuisse Christi ecclesiam. Libro i enim cap. iii adversus Hæreses dicit: *neque he, que in Germania sunt fundatae, ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt.* Egregium argumentum, si Germaniam intellexit, quam Romani vocabant Transrhenanam & barbarem: quod quidem Latina hæc verba (nam versio sola librorum supereft: Græca authentica iam tum Hieronymi æuo deperdita) adfirmare videntur, non autem firmiter probare, quia dubium remanet, an ita etiam Græce scripserit vir sanctus Irenæus. Notum enim ex Romanis historiis est, Germanicas quasdam nationes Caii Cæsaris temporibus, aut paullo ante, tracieisse Rhenum, vt in Gallica ripa habitarent: & Augustum plures transduxisse, duasque ibidem prouincias instituisse, quas ab incolis Germanias appellauerit secundum flumen Rheni diuisas, ita, vt altera Superior a flu mine superiori nuncuparetur; altera Inferior Germania.

Quæ

Quæ appellationes apud Tacitum, & in pluribus inscriptionibus perquam sunt frequentes. Inde est, quod multi Irenæum de illa in Gallico solo Germania interpretentur: sed fluctuant hi ipsi etiam, quia Irenæi interpres tantummodo *Germaniam* simpliciter dixit, non addito cognomine, ab loci differentia desumpto: si-
nè quo Romani potius *Germanias*, quam *Germaniam*, vtramque illam prouinciam complexu uno appellauerunt. Si nunc Græcus & primigenius liber supereisset, certiores inde de mente Irenæi redderemur: quo quia caremus, non videtur animus fluctuatione liberari posse. Sed salua res: seruatae ex naufragio sunt quædam tabulæ, quibus enatare ex dubitationis illo possumus periculo. Sanctus Epiphanius libro i aduersus Hæ-
refes sectione x x x i ineunte p. 202 seruauit Græca verba, quæ hæc sunt: οὐτε αἱ ἐν Γερμανίᾳς ιδευμέναι ἐν λη-
στοις ἄλλως πεπιστύνασθν, οὐτὲ αἱλας παραδιόσασιν. Neque in Germaniis fundate ecclesiæ aliter crediderunt, aut aliter tradiderunt. Dum ἐν γερμανίαις, in Germaniis, plurali numero dicit, vtique dubitari non potest, ad duas illas in sinistra Rheni ripa prouincias, ab Romanis cis am-
nenm constitutas, respexisse. Quod dum negare non possumus, nostram simul caussam, quam defendendam suscepimus, præsidio Irenæi si fidendum sit, aperte deferemus, trademusque iis, qui a nobis in hac contro-
versia dissentient. Sed nondum desperamus: aliud præsidium, deserti ab Irenæo, circumspiciemus.

XXVIII. Hoc Tertullianus nobis præbebit, & in-
clinatas nostras copolas, vt videbantur, firmabit & re-
stituet. Tertullianum quium nominamus, auctoritatì
Irenæi nihil cedimus, quia is, si omnino posterior fuit

Ire-

Irenæo, proximus tamen post ipsum fuit, & qui in se-
cundo etiam sæculo sacris studiis operam dedit, eamque
continuauit in tertium. Hic aduersus Iudeos cap. vii,
*In quem alium, inquit, vniuersæ gentes crediderunt, nisi in
Christum, qui iam venit? Cui enim & alia gentes credide-
runt, Parthi, Medi, Elamita, & qui inhabitant Mesopota-
miam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes
Pontum, & Asiam, & Pamphyliam, immorantes Aegyptum
& regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, inhabitantes?
Romani & incole; tunc & in Hierusalem Iudei, & ceteræ
gentes: ut iam Getulorum varietates, & Maurorum multi-
tudes, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ
nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo
vero subdita: & Sarmatarum, & Dacorum, & GERMA-
NORVM, & Scytharum, & additarum multarum genti-
um, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignota-
rum, & quæ enumerare minus possumus? in quibus omnibus
locis Christi nomen, qui iam venit, regnat. ---- Sic Ger-
mani adhuc usque limites suos transgredi non sinuntur. Bri-
tanni intra Oceanî sui ambitum conclusi. Maurorum gens
& Getulorum barbaries a Romanis obscientur, ne regio-
num suarum fines excedant.*

XXVIII. Varias aut vniuersas gentes, Christo
subditas, Iudeis opponit, in iisque numerat non modo
Galliarum diuersas nationes; sed Sarmatarum etiam, &
Dacorum, & Germanorum, & Scytharum. Num vero &
hi Germani Cisrhennani Romanis erant? Ne ita de ver-
bis eius cogitemus, ipse nobis auctor est, & suorum fi-
delissimus interpres. Galliarum enim diuersas na-
tiones distinguit, quibus vtramque Germaniæ prouinci-
am oportet interfuisse. Deinde Germanos suos cum Da-
cis,

cis, Sarmatis, & Scythis coniungit, ad quos haudquam Cisrhennani; omnino autem qui trans flumen erant, Germani proprius pertinebant. Quid multa? Germanos eos intelligit, qui *ad huc usque limites suos transgredi non sinuntur.* Et quum Romani (sic pergit Tertullianus) de legionum suarum presidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere fines regni sui possunt; Christi regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur: ubique regnat, ubique adoratur. Quid clarius, quid apertius dici potest, quam secundo Christianorum saeculo, Christianos in Germanis etiam illis fuisse, qui sub Romanorum imperio non erant, & quos Romani prohibebant limitem suum i.e. Rhenum, transgredi: qui soli proprie Germani erant, in magna seu barbara Germania inter Rhenum & Vistulam habitantes? Vnde autem illis Christi nomen? vnde euangelium, nisi ex primigenia illa per orbem terrarum facta salutis adnuntiatione?

XXX. Ut vero aliis multis locis factum fuit, ita etiam in Germania diuini verbi semen obtritum aut suffocatum fuit, ut posteri eorum, qui Christum in ea gente confessi fuerant, pæne omnes ad pristinas superstitiones relaberentur. Nec tamen omnia ita deleta sunt, quæ Christiana in iis fuerant; sed raros & paucos etiam ibi remansisse, qui Christo dediti essent, non est incredibile. Quo referendum illud videtur, quod Hieronymus ineunte epistola cxxxv ad Suniam & Fretellam scripsit: *Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Ebraicam quereret veritatem? & dormitantiibus, immo contendentibus Grecis, ipsa Germania Spiritus*

*Sancti eloquia scrutaretur? Dudum callosa tenendo caput
lum manus, & digitis tractandis sagittis aptiores, ad filium
calamumque mollescunt, & bellicosæ pectora vertuntur in
mansuetudinem Christianam.* En in barbara Germania
Hieronymi ætate Christianos, & eruditos Christianos,
qui, versionibus non contenti, ex fonte Ebraico senten-
tiam Psalmorum exquirebant! Quis enim hos Ge-
tarum accolas eis Rhenum reducit, vbi, tamquam in
Gallia prouinciis, nihil mirabile erat, illa ætate omnes
XVI*century*?

XXXI. Non equidem ignoramus, permultos es-
se, qui Carolo M. conuersiorum Germanorum gloriam
tribuant. Non detractam tanto principi laudem ve-
limus præcipuum, quam ex Christianæ religionis ad-
eptus cura est: nec vero propterea Christianismus Ger-
maniae omnis priori ætati negandus est. Si limitem
translimus, & Rætiā quoque cum Norico Germa-
niae adiungimus, vti fines Carolino aucto mutatos con-
stat fuisse; ipsa Augustana colonia antiquioris Christia-
nismi multa sane argumenta præbet, quæ collegit &
illustrauit Marcus Velerus in egregiis Augustanæ ci-
vitatis Monumentis, & ad Passiōnem sanctæ Afræ
Commentariis. Antiquiora etiam interioris Germa-
niae in Thuringia & Hassia reperta sunt christianæ
confessionis vestigia: quod vel ex eo non incertum
est, quia & Merouingi; reges Franciæ, Dagobertus
præsertim, filius Clotharii, ipse Christi sacrī bene im-
butus, Germaniæ Rhenanæ partibus usque in Thu-
ringiam, & ultra illam, imperasse traduntur. Lam-
bertus Schaffhaburgensis, vel antiquus aliquis, qui ad-
didit, ad annum Christi septingentesimum sextum Da-
gober-

goberto Merouingo initia monasterii, quod intra urbem Erfurthiam in monte S. Petri est, imputauit. *Initium*, inquit, *monasterii S. Petri in Erfersfurth*, quod construxit Tagebertus rex Francorum in monte, qui antea Meruigisburg vocabatur: sed ab ipso Dagoberto mons S. Petri nuncupatus est. Supersunt etiam diplomata eiusdem ævi, quæ hoc confirmant. Quum enim a Chlodouæi, qui primus ex Francis regibus confessus Christum est, temporibus reges Franciæ in Thuringiam multas expeditiones fecerint, multaque ibi occupata possederint; minus credibile est christianissimos illos reges, si non inuenissent Christianos suæ ditionis homines, in pagorum cæcitate reliquisse. Fuldense quoque in Buchonia monasterium, quod medium inter Thuringos & Francos orientales est, originem S. Bonifacio debet sub auspiciis maiorum potius, quam ipsius Caroli M. qui, quæ illorum litteris promissa erant & data, suis etiam rata habuit & confirmauit. Vide Christophori Broweri Antiquitates Fuldenses lib. I cap. IV; etiam de schola eius loci antiqua, cap. IX.

XXXII. Nec vero negamus, Caroli huius ætate quamplurimos idolorum cultores in Germania fuisse, quod ex diuturno aduersus Saxones bello manifestum est, quam gentem ad verum Christi cultum victor glorirosus pro pietate sua adduxit: & vt propagaretur latius, multos episcopatus per Saxoniam instituit, quos Albertus Kranzius in Metropoli sua lib. I cap. V seqq. recensuit. Ex quo tempore magis magisque extirpata idolatria, christiana religio per Germaniam & vicinas regiones fuit propagata: at, quod dolendum, in dies magis magisque superstitionibus pontificis fuit

obscurata. Quod malum inualuit & vires sumisit ab ignorantia prope omnium illius ætatis hominum: quippe omnes bona litteræ ita extinctæ erant, vt frustra rex Carolus, & plures post eum principes in iis resuscitandis laborauerint. Episcopatus cum scholis Latinis suis, & plures academiæ fuerunt conditæ: sed defuerunt, qui litteras more antiquo docerent, & instrumenta illa conficerent, quæ tuendæ religioni aut purificandæ sunt necessaria. Tandem quum ortus beatioris sæculi appropinquaret, non prius Deus repurgari contaminatam ecclesiam voluit, quam præstantiores litteræ ac artes, & cum primis linguarum cognitio, post diuturnam inficitiam, benignis fatis fuissent restitutæ. His enim purior doctrina de Deo & diuinis rebus, tamquam instrumentis vtitur: quæ si contemnuntur, aut tractantur negligenter, periculum est, ne Christiana res publica aliquid detimenti capiat, aut rursus in errores aut superstitiones demergatur.

XXXIII. Summa ergo controversiæ in hoc versatur, vt distinguamus inter Christianismi initia in Germanis, quæ inde ab Apostolorum temporibus sparsim in barbara etiam natione fuisse, haud dubitamus: & inter plenioræ cælestis doctrinæ propagationem ac ethnicis interitum: quod ipsum est, in quo magni Francorum regis Caroli exultat & triumphat gloria. Hic enim Saxonico bello idola sustulit, vt Adelmus Benedictinus adnotauit; ac integras gentes ad Christum perduxit; episcopatis instituit, & vbiique providit, ne Christiani in pristinos reciderent errores. Fuisse vero & ante ipsius tempora in Germania ecclesiæ, vel solum concilium Francofurtanum probare potest,

est, quo omnes regni sui episcopos & ecclesiæ ministros congregauit, nec tantum ex Gallia illos huc transduxit, sed ipsa etiam Germania: qua de cauſa ad Mœnum potius, quam ad Ligerim, hunc conuentum sacrum agi voluit.

XX X IIII. Quod vero de cultiore Germania supra instituimus tractare, illumque cultum ex disciplinarum vſu & litterarum doctrina quoque adduximus, cui maior tandem nitor ex Christianorum accessit pietate; ex eo euident omnino est, quum bonæ litteræ primum resurgerent in Germania, deinde purior lux cœlestis doctrinæ oriretur; cultiorem tum Germaniam quoque factam fuisse, quam superioribus sæculis fuerat, quibus aliquem cultum repererat: idque in tantum obſeruari potuit, quantum vtraque restitutio & litterarum & cœlestis doctrinæ fuit beatior.

ADDITAMENTVM.

Romanī imperiū magnitudinem omnes miramur, cui nec par in orbe terrarum fuit, nec secundum facile, aut proximum ab illo, reperitur. Hic vero cœlestem obſeruemus prouidentiam, fine qua nec profanis & auersis a Deo hominibus quidquam boni contigit. Augustinus lib. v de Civ. Dei cap. i in cauſas tantæ felicitatis inquirit, & reiectis falsis, fortuna & fato, vt pagani illas interpretabantur; & siderum positione: tandem cap. xii ad mores illorum, integriores oī m, cum Catone apud Sallustium refert: quam quidem non negamus cauſam, quia industriae, labori, consilio, abstinentiae omnino aliquid tribuendum est, sed fortunante Deo, cuius solius est regna & felici-

felicitatem dare. Aliud tamen & arcanum subsuisse, Aurelius Prudentius censet, ut euangelii cursus, per orbem proferendus, minus impedimenti haberet, quam si in pristina barbarie gentes omnes dissociatae perstitissent. In S. Laurentii Passione v. 419 sic ait sub persona illius martyris:

O Christe,

Qui sceptrum Romæ in vertice

Rerum locasti, sancti

Mundum Quirinali roga

Seruire, & armis cedere;

Vt discrepantum gentium

Mores & obseruantiam

Linguasque & ingenia, & sacra,

Vnis domares legibus.

Hoc destinatum, quo magis

Ius Christiani nominis,

Quodcumque terrarum iacet,

Vno inligaret vinculo.

Et contra Symmachum lib. II vers. 582, clarius:

Vis dicam, qua caussa tuos, Romane, labores

In tantum extulerit? quis gloria fortibus aucta

Sic cluat, impositis ut mundum frenet habenis?

Discordes linguis populos, & diffona cultu

Regna volens sociare Deus, subiungier vni

Imperio, quidquid tractabile moribus esset,

Concordique ingo retinacula mollia ferre

Constituit, quo corda hominam coniuncta teneret

Religionis amor. nec enim sit copula Christo

Digna, nisi implicitas societ mens vnicâ gentes.

Facile consentimus cum Prudentio: aut, si quis dubitat, exercitii caussa sententiam eius ad disputandum proponimus.


Ab: 155 159



sb.

VII





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches

22.

QVOD FELIX FAUSTVM QVE SIT,

INITIA
CVLTIORIS
GERMANIAE,

IN REGIA FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPĒ

FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE,
CETERA,

PRAESIDE

CHRISTOPHORO CELLARIO,
HISTOR. ET ELOQ. PROF. P.

D. XXI FEBRVAR. CIO IOCCIII

EXAMINANDA PVBLICE PROPONIT

ANDREAS CHRISTOPHORVS BREITHAVPT,
Eimbeccensis-Hannoueranus.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP. *gj*